Siebenter Jahresbericht

des

Königlichen Gymnasiums zu Ostrowo,

womit zu der

am 1. und 2. October 1852 stattfindenden

öffentlichen Prüfung und Schlußfeierlichkeit

ergebenst einladet

Dr. **Robert Enger,**

Director.



SIÓDME SPRAWOZDANIE

KRÓLEWSKIEGO GIMNAZYUM w OSTROWIE

przyczem na

POPIS PUBLICZNY UCZNIÓW

mający się odbyć dnia 1. i 2. Października 1852. r.

najuniżeniéj zaprasza

Dr. Robert Enger,

Dyrektor.

Druck von Theodor Hoffmann in Ostrowo.


BIBLIOTHECA
VNIV. IAGELL.
CRACOVIENSIS

Quum quas anno superiore conscripseram ad Aiacis Sophoclei partem priorem adnotationes, earum alteram particulam edere hac scribendi opportunitate animum induxissem: re tamen accuratius perpensa, quum *id genus* adnotationum intellegerem non satis commode posse Latino sermone tractari, ita vero esset apud nos institutum, ut Germanice scriptam Latina exciperet dissertatio, omisso illo consilio eiusmodi argumentum existumavi eligendum, quod et intra paucorum posset, qui mihi concessi sunt dierum spatium absolvi, neque alienum esset ab eorum studiis, qui maxume hasce commentationes legere et solent et debent. Itaque quum hoc ipso tempore in Plauti fabulas incidissem, miraque aurium voluptate et delectatione tenerer in legendis eius versibus, quibus suam elegantiam pristinumque nitorem tandem Friderici Ritscheli egregia opera restitutum laetamur: inter legendum mihi res quaedam se obtulit, quae non indigna est visa, de qua quaestionem afferrem, si minus sustinere potuissem. Versabitur autem omnis disputatio nostra in prosodia Plautina, de qua post Fr. Ritschelium optume est meritus Alfredus Fleckeisenus, qui in censura quam de Ritscheli recensione egit in Annalibus scholasticis Lipsiensibus permulta egregie disputavit, quae etiam latius patent et gravissima grammaticae doctrinae capita attingunt, alia posthac accuratius persecuturus. Sed quoniam omnis hic locus admodum est lubricus, cavendumque, ne nimia nos abripi patiamur inveniendi cupiditate, praesertim quum nihil sit feracius ingeniis, ut ille ait, segetesque fecundae et uberes non solum fruges, verum herbas etiam effundant inimicissumas frugibus: operae pretium facere videtur, qui quidquid videt illis inventis obstare, id afferat, ut aut diluantur quae non recte sunt disputata, aut eo ipso quod frustra impugnantur, in eo clariore collocentur luce.

Atque illud quidem haud leve habendum, quod et Carolus Lachmannus et A. Fleckeisenus de perfecti terminationis in *it* mensura indagasse sibi sunt visi, quorum ille in Commentario in T. Lucretii Cari de natura deorum libros verba *iit* et *petiit* cum compositis *i* altera extenta proferenda esse demonstravit, hic illam mensuram ad omnium perfectorum formas in *it* exeuntes pertinere sibi persuasit. Atque poetas illa syllaba pro longa usos esse exemplorum multitudini debet credi, vocalem vero productam esse non possum adduci ut credam, siquidem vocalis brevitas ex prima numeri pluralis persona cognoscitur eademque syllaba *it* producitur, ubi de vocalis brevitate nulla esse dubitatio potest, veluti Horatius non solum *Perrupit Acheronta* dixit, sed etiam *Si figit adamantinos* —, eodemque modo alii poetae. At de vocalis productione inde sibi persuadere aliquis possit, quod Fleckeiseno auctore et illae et aliae quaedam terminationes, quae breves vulgo habentur, apud Plautum nunquam non productae reperiantur. Re tamen accuratius cogitata nihil illo argumento intelleges demonstrari. Nam in senariis et septenariis — in reliquis enim metri generibus ipse Fleckeisenus correptionem statuit — syllabae alicuius ita conspicua fit correptio, ut aut in dactyli anapaestive thesi ponatur, aut in arsi quae in duas breves sit soluta. Horum alterutrum in illis formis fieri elegantia vetat artis Plautinae. Nam quum illae perfectorum formae aut in trochaeum aut in dactylum exeant — de bisyllabis enim perfectis paenultima correpta deinde videbimus — neque in arsi possunt collocari, nisi ut aut ultima vocabuli syllaba in trochaeum dactylumve exeuntis, aut paenultima vocabuli dactylici acuatur, quod utrumque respuit ars Plautina, neque in thesi, nisi ut post alteram dactyli syllabam incidatur aut uno vocabulo dactylus contineatur, quod non minus est vitiosum. Itaque versus illi, quos Fleckeisenus ut legi prosodiacae refragantes corrigendos censet, sunt illi quidem corrigendi, sed non ob eam quam Fleckeisenus existumat causam, Pers. II. 4. 9. Trin. 792. Bacch. 411. 1069.

Servam óperam, linguam líberam erús me iussit habére.
Eum quem hábuit perdidit, álium post fecít novom.
Heí mihi, hei mihi, ístaec illum pérdidit adsentátio.
Evénit ut ovans praéda onustus céderem.

Denique correptio illius syllabae conspicua foret in versus exitu, ubi iambus vel trochaeus purus servatur, quod tamen quum aliter fieri non possit, nisi ut versus in monosyllabum vocabulum exeat a vocali incipiens, mirum non potest videri, si eiusmodi exempla non reperiuntur. Tamen exstat eiusmodi exemplum Capt. 198.

Nunc sérvitus si evénit ei vos mórigerari mós bonust,

quod quum ab omni corruptelae suspicione liberum sit, correptionem illius terminationis demonstrat quae sine dubio usitata erat, ita tamen ut aliquoties Plautus sibi permiserit productionem. Eadem

est *Jupiter* vocabuli ratio, quod Fleckeisenus negat a Plauto unquam ultima correpta esse positum. Est sane ultima semper producta, sed non quod ita Plautus eiusque aequales semper locuti essent, sed quia numerorum ratio productionem postulabat. — Sed perfectorum illorum correptionem probarent eiusmodi formae ut *fuit, dedit,* quae ut possunt ex artis lege, ita revera a Plauto ultima correpta usurpantur, nisi huius quidem argumenti vis eo eluatur, quod Fleckeiseno iudice omnia bisyllaba iambica verba, et fortasse omnia vocabula, sive in vocalem exeunt, sive in consonantem, ultima correpta dici possunt. De cuius praecepti veritate nunc non disputo, rhythmo vero quum dicat istam correptionem effici, quam illud vim habeat, non satis apparet. Nam si quis Plautum existumet versus causa correptionem sibi permisisse earum syllabarum, quae vulgari sermone extentae pronuntiabantur, is in aperto versatur errore, siquidem comoedia quotidianam imitata est dicendi rationem. Itaque si *amās* Latini, nunquam *amăs* pronuntiabant, ne Plautus quidem sibi permisit correptionem, et si quum in aliis quibudam vocabulis, tum in *in* praepositione positionem Plautus neglexit et Poenul. V. 4. 51. dixit *nós fore invito dómino nostro,* nunquam tamen dixisset *nós fore insano dómino nostro,* Latinos enim scimus *invitum* brevi, *insanum* longa *i* pronunciasse. Rhythmicam igitur si dicit illam correptionem, id ita est intellegendum, ut sermonis usu sensim in usitatis quibusdam vocabulis ultimae syllabae vocalis detrita sit, quod eo facilius potuit fieri, quum paenultima brevis accentu notata impediret, quominus vox in ultima acquiesceret. Est igitur haec rhythmica lex orationis non versus. Quod si vere est disputatum, sequitur, poetas correptionem illam eadem conditione qua sermonem quotidianum admisisse, id est, ut ne ultima sub ictum caderet. Itaque aut in thesi ponitur eiusmodi pyrrhichius, aut eius prior acuitur, ut qui, ut exemplo aliquo utar, Truculenti IV. 4. v. 36. *Áha, tace. Quid est óbsecro* legat *tacé quĭd* vitium committat; ictum enim si habet haec syllaba, non potest non esse longa. Hoc non satis perspexisse Fleckeisenum inde apparet, quod ut rhythmica vi demonstret ultimam in iambicis vocabulis corripi, eo utitur argumento, quod voculam quamque monosyllabam, sive illa longam habeat vocalem, sive positione fiat longa, sive denique utraque ratione, corripi posse docet ea conditione, si vocabulum monosyllabum praecedat, quod brevem habeat vocalem: eo enim modo tamquam iambicum existere vocabulum, dictumque esse *quíd ĕst, quíd hŏc, ĕgo hŭc, ín hŭnc, égo hănc, égo hĭnc* alia. Mihi istud praeceptum et omni ratione videtur esse destitutum, neque eiusmodi correptiones ut *ís ăut, ís hăec, éa ărs,* et similes unquam esse a Plauto admissas probabit. Neque *hic* et *hoc* pronomina, nisi vulgari sermone brevi vocali pronuntiabantur, ausus esset corripere Plautus, et si vulgo corripiebantur, non est quod certa tantum conditione quadam arbitremur correptionem esse a Plauto admissam. Sic ipse Fleckeisenus Militis versu 274. edidit

Hic illam vidit aúsculantem, quántum hunc audivi loqui,

ubi ut initio et versus et orationis monosyllabum vocabulum non praecedit. Illud tamen recte observavit Fleckeisenus, *est*, *hunc*, *hanc*, *hinc* ubi corripiuntur, brevem plerumque praecedere voculam monosyllabam, sed quum eius rei rationem non perspexisset, quod consequens est alius cuiusdam rei, eam causam putavit efficientem. Etenim in his vocabulis sermonis quotidiani consuetudine positionis vis debilitari sensim coepta est, ubi nulla vi haec vocabula efferebantur. Quod poetae comici imitati admiserunt illi quidem correptionem, sed ita, ut aut in thesi ponerentur illa vocabula, aut alteram arsis solutae syllabam efficerent. Ictu enim si acuebantur, eodem modo positionis vis auribus tamquam impingebatur, quo in quotidiano sermone si accentus vi efferebantur. Itaque quum liceret *ís ĕst insánus*, non licuit *ést is insánus* dicere. Iam sua sponte ex numeri accentusque ratione illud sequitur, si altero arsis solutae loco ponantur illa vocabula, monosyllabum praecedere vocabulum debere, idemque plerumque fieri, si in thesi ponantur. Nam in thesi id non est necessarium, et Fleckeisenus ipse Milit. v. 311 edidit: *hércle quidquid est mússitabo*. Sed quousque se passus sit abripi Fleckeisenus eiusmodi observationibus, ex luculento quodam in re non dissimili apparet exemplo. In ea enim quam supra dixi censura ubi de contractis perfectis verbi *ire* agit, p. 23. Bacchidum versum 950. in hunc modum sibi persuasit a Plauto esse compositum:

Doli égo depraensus sum: ílle mendicans paéne inventus ínteriit.

Qui versus quum duobus vitiis laboret, de altero post dicetur, *interiit* autem quod prima correpta hic dici existumat, id aperte est falsum. Scilicet alio loco se demonstraturum dicit, *interiit* vocabuli primam corripi posse, si brevis syllaba antecedat. At brevis syllaba antecedat, an non antecedat, nihil facere ad correptionem illius syllabae potest. Sed quum *inter* paenultimam possit corripere, modo ne illa sub ictum cadat, sive in thesi ponitur, sive altero arsis solutae loco, brevis syllaba antecedat necesse est. Itaque Mercat. IV. 4. 11. *set intérii*, ut in thesi recte illa syllaba corripitur, Poenul, III. 3. 22.

Maló si quid benefácias, beneficium interit

etsi altero arsis solutae loco ponitur, tamen accentus ratio suadet, ut potius *b'néficium interit* legatur.

Itaque in eiusmodi observationibus magna est opus cautione, idque eo magis, quum librariorum culpa factum sit, ut quidquid excogitaveris, id comprobare Plautino aliquo exemplo possis. Equidem non mirer, si quis etiam longius progrediatur et omnium vocabulorum primam longam existumet corripi posse, si monosyllabum vocabulum breve antecedat. Quod praeceptum confirmari satis multis potest exemplis, Stich. 213. *quót ăutem*, Poenul. IV. 2. 59. *quíd ĕrgo*. 71. *fác ĕrgo*, Curcul. V. 2 15. *quód argentum*, Aulul. IV. 4. 18. *quíd ăbstulisti*. Persa IV. 3. 81. *sét ŏptume eccum ipse*

advenit. In quo priusquam totum genus certa quadam lege nobis persuadeamus regi, singula exempla accurate sunt examinanda. Veluti in eo quod extremum posui exemplo quis dubitet leni transpositione: *Sét eccum ipse optume ádvenit* versus integritatem restituere? — Sed illa lex, quam ipsi proposuimus non extrinsecus ascitam, sed in ipsa orationis natura positam, nobis etiam latius patere videtur. Nam quum certa quaedam vocabula, ut *ille, iste, esse, omnis, ecce, inter, unde, ipse,* positione neglecta saepissime brevi paenultima apud Plautum reperiantur, inde id mihi repetendum videtur, quod vulgari loquendi consuetudine ubi in sermonis perpetuitate sine ulla vi illa vocabula efferebantur, ita attenuata est pronunciando positionis vis, ut illae syllabae iam non explerent syllabae longae mensuram. Illud vero quum fieri nullo modo possit, ut eiusmodi voculae cum vocis intentione quadam pronunciatae, vel quod eodem redit, ictu metrico notatae ita paenultima proferatur, ut positionis vis quodammodo delitescat, recte mihi inde videor conicere posse, vocabulorum illorum paenultimam nisi in bisyllaba thesi vel altero arsis solutae loco ponatur, corripi non posse. Quae lex ut sua nititur certa quadam ratione, ita usu comprobata eis videbitur, qui membranarum auctoritati non temere adstricti libero iudicio singula quaeque dispicere quantumque quaque in re tribuendum sit libris recte iudicare didicerunt. Est enim, ubi tria exempla rem conficiant, est ubi vel triginta quae refragentur sententiae alicuius infringere probabilitatem non possint. Itaque quum hic non agatur de re aliqua, quam ex raris quibusdam aestimare exemplis liceat, sed de re, cuius centena in singulis Plauti fabulis exstent exempla, mirum non potest videri, si unum alterumve reperitur, quo impugnari praeceptum illud a nobis propositum possit. Totum autem genus spectantes si, ut hoc uno utar exemplo, *iste* pronomen saepissime usitata mensura poni, ducenties autem, si recte numeravi, paenultima correpta videmus, casune id factum putabimus, ut in ducentis exemplis vix tria inveniantur, in quibus illa syllaba sub ictum cadat, eaque ipsa eiusmodi, ut lenissima mutatione iusta restitui huic pronomini mensura possit? An, quod sedulo evitasse et iure suo evitasse poetam exemplorum multitudo planissume docet, id eum singulis quibusdam locis evitare vel noluisse vel non potuisse censebimus? Non tam facile, credo, sententiam nostram quibusdam de *ille* pronomine probabimus, etsi et facillima transpositione plurima exempla removeri possunt et in tanta erroris proclivitate, quo *ille* et *illic* formae in libris permutantur, praesertim in tanta exemplorum copia pauca quaedam videntur altera pronominis forma substituta restitui posse. Sed et de his et de reliquis eius generis vocabulis accuratius deinceps erit dicendum, ubi prius rem quandam metricam attigero, quae ad illam, de qua maxume disputamus quaestionem recte diiudicandam pertinet.

Atque prosodiacas eius aetatis leges si quis recte tenebit, numerorum in senariis et septenariis summam apud Plautum deprehendet elegantiam eamque rhythmicarum legum severitatem, quae si ab ea recesseris licentia, quam accentus ratione habita non potuit quin sibi sumeret, a Graecorum comicorum in componendo trimetro prope absit artificio. Ita quemadmodum Graeci

comici in trimetro anapaesti post priorem thesim incisionem nisi certis quibusdam conditionibus non admiserunt: ita Plautus quoque in septenariis — nam de senariis nunc non disputo — dactyli post priorem thesim incisionem diligenter evitasse censendus est. Atque in secundo, quarto, sexto septenarii pede eiusmodi dactylus vitiosus est, et si qui eiusmodi versus apud Plautum exstant, pro corruptis sunt habendi. Corruptus igitur Epidici versus V. 2. 39.

Pró tua filia. Istís adeo te tétigi trigintá minis.

cuius versus numeri eo sunt perversiores, quod thesis dactylica etiam interpunctione distinetur. Hic igitur corrigendum est: *'Istis te adeo tétigi* —. Non recte igitur Fleckeisenus Bacchid. 637. in exitu versus posuit: *út opem ferre putém mihi,* certe debebat *míhi putem.* Sed Trucul. II. 5. 31.

Fáce ut accumbam. Accéde, sic decet ádiutare puérperam

puerperam synizesi efferendum, etsi hic versus etiam ob dactylum in quarto pede suspectus est. Difficilius est de Rudentis v. 1093.

Víden scelestus ut aúcupatur —.

iudicare, in quo de *s* elisa cogitare nimis videtur temerarium, etsi eo modo idem incommodum tolleretur Poenul. V. 2. 85.

Si quidem 'Antidamai quaéris adoptatítium.

et in septenario, non solum Mercat. III. 4. 15. *Trístis incedit* — ubi minus est molesta haec incisio, sed etiam Poen. III. 1. 74.

básilice exornatus incedit ét fabre ad falláciam —

nisi his duobus locis, ut aliis quibusdam *cedit* substituendum, nam etiam a tertio pede alienus videtur eiusmodi dactylus. Qui Poen. IV. 2. 100.

hero uni potius intus ero odio, quam híc sim vobis ómnibus

hero eiciendum existumarunt, ab illo vitio sibi non caverunt: sed transponenda videntur *uni* et *intus* vocabula in hunc modum:

héro intus potius úni ero odio, quam híc sim vobis ómnibus.

Pseudul. v. 1182. *íre licebit* Fleckeisenus recte cum C. videtur *ire* eiecisse. Excusari possit eiusmodi numeri retardatio *quinto* septenarii pede, etsi hoc quoque artis Plautinae elegantia, tantum non semper, evitavit. Pers. IV. 4. 16.

Di ímmortales! núllus leno te álter erit opuléntior

leno post *alter* collocandum. Nihil est offensionis, si ultima dactylici vocabuli eliditur, ut Rudentis v. 1109. 1133. *caúdeam in isto vídulo*, ubi cave *ín isto* legas, neque in eiusmodi exemplo, ut Rud.

1121. *quidquid ibist.* Magis offendit Stich. 58. *sérvus homo officiúm suum.* — Denique ut quinto, ita primo septenarii pede dactylum eo modo diremtum aliquoties Plautus admisit. Poen. III. 1. 57. *ísque se ut adsimuláret.* Pers. II. 2. 43. *écquid habes?* Stichi v. 545. *Deínde senex,* ubi tamen *senex* monosyllabum esse potest. Poen. IV. 2. 58. Mil. 184. 1284. 1288. *propter amorem* ut in praepositionis cum substantivo suo coniunctione offensione caret, etsi trisyllabum vocabulum raro reperias eo modo trochaeo adiectum. Itaque Rudentis versu 1015. *mitte rudentem sceleste*, qui *iam* vel *nunc* post *rudentem* iniecerunt, dubito an illum locum non recte emendaverint. — Sed ut dactyli post alteram thesim incisionem vitavit, ita ea quoque re numerorum elegantiae consuluit Plautus, quod ne pes dactylicus dactylico vocabulo contineretur, sibi cavendum esse existumavit: in quam legem si quae inveniuntur exempla quae peccent, vitii suspicionem movent. Itaque Bacchid, v. 70.

béne med accipis ádvenientem

rectissume Hermannus *me accepisti* emendavit. Neque Asinar. v. 469.

Nemo áccipit: aufer té domum, abscede hínc, molestus né sis

eiusmodi dactylus, ut in iambico septenario ferri potest: hoc enim numerorum genus licentiis iis vacat, quae octonariis conceduntur. Itaque *te aufer* corrigendum. Rudent. v. 1130.

Éstne hic vidulus, úbi cistellam túam inesse aiebás? is est

Fleckeisenus edidit: *túam inesse hic aibát,* vitio illo relicto. Mihi *ubi* suo loco videtur exturbatum et versus in hunc modum restituendus:

Éstne hic vidulús cistellam túam ubi inesse aibás? is est.

Eiusdem fabulae v. 1086.

Ét crepundia. G. Quíd ea si sunt aúrea? T. Quid istúc tua?

legendum est, *crepundiá. quid,* ut *aúreá. quid*, nam quod dactylici vocabuli ultima acuitur, id ut in personae mutatione excusationem habet. Omnino est, ubi eiusmodi accentus nihil habeat offensionis, ut v. 1173. *Fília mea salve,* ubi quum Fleckeisenus correxisset *Ó mea filia salve* vitio vitium expulit. Neque v. 1219. *ét tua filiá facito oret* corrigere debebat *ét tua filia fácito ut oret* sed *ét tua filia óret facito.* Mercat V. 4. 48. *Hic est intus fílius aput nós tuus*, ut hoc unum addam, *túus aput nos fílius* corrigendum . Illuc revertor. Trucul. IV. 3. 36.

Mágis pol haec malítia pertinet ád viros quam ad múlieres

dactylus ille duplici premitur vitio, et quod uno est comprehensus vocabulo et quod est in quarto pede. Neque si ultima *pertinet* verbi syllaba producitur, numeri non existunt perversi, itaque corrigendum, ut sententia suadet:

mágis pol ad uiros haéc malitia pértinet quam ad múlieres.

Rud v. 1158.

Póst altrinsecus ést securicula áncipes, item aúrea.

Hic et *altrinsecus* et *securicula* est offensioni, hoc etiam propter dactylum in quarto pede. Hunc sustulit Fleckeisenus, qui edidit: *póst altrinsecus áncipes secúriculast, item aúrea.* Sed librorum scriptura non videtur sollicitanda esse, modo *altrinsecust* legatur, nam dactylici exitus in *securicula* incommodum elisione ultimae vocalis tollitur, et dactylus in quarto pede ferri posse videtur, quum versus caesura careat. Non ferendus tamen videtur, ut hoc addam v. 575.

méa dum arescunt: ín aliquo tibi grátiam referám loco

ubi nescio an corrigendum sit: *grátiam tibi ín aliquo referám loco.* Etiam minus eiusmodi versum Plautus fecit, qualis in libris perhibetur Aulul. II. 2.52.

Té bovem esse et me ésse asellum; ubi técum coniunctús siem.

ubi sine dubio *tecum ubi* corrigendum. Neque Epidic. I. 2. 33.

Hércle miserum est, íngratum esse homini íd, quod tu faciás bene.

Bothius ex duobus libris *tu* addere debebat: id igitur eiciendum et aut hiatus statuendus, aut *id homini* scribendum. Eiusdem fabulae III. 4. 42.

ei quae áccessere, tibi áddam dono grátiis

eo est minus dactylus ferendus, quod diversorum sunt breves eius syllabae vocabulorum: itaque *addam tibi* emendandum. Sed revertatur unde aberravit oratio. Et Truculenti quidem II. 2. 7. versu

Cómprime . . . S. Spéro meam quidem hercle —

dactylus nihil habet offensionis, siquidem Astaphium *comprim* pronuntiat, videlicet *iram* additura. Sed sunt alia huius dactyli exempla, quae non tam facile removeri possunt, ut Mostell. I. 1. 39.

Germána illuvies, rústicus, hircus, hára suis

etsi in eiusmodi versibus et Graeci et Latini comici licentias quasdam concessas habuerunt. Sed Epid. I. 1. 3. Plautus dedisse videtur: *réspice vero, Thésprio.* Eo qui sequitur versu *Certe óculis utere. Salve* — transponendum *certe útere oculis.* — Denique *haécine, istócine, sícine, istícine* sine offensione dici non est quod moneam: in quorum numero etiam *utpote* habendum, Rud. v. 462.

satin néquam sum, utpote qui hódie amare incéperim?

si vera est quam Fleckeisenus repraesentavit scriptura, quod admodum dubito. Itaque ut Bacchid. v. 511. sic hic *utpote* in *ut* videtur mutandum, et *sumne* scribendum. Sed et de his et de reliquis, quos deinde tractabimus locis, illud nobis monendum videtur, quum improviso quodam casu factum esset, ut paucis diebus variisque negotiis occupati hasce complere pagellas cogeremur, non licuisse nobis criticum quem dicunt apparatum undique conquirere et diligentius singulos locos examinare. taque quae olim inter legendum in chartas coniecimus, iis ita ut erant perscripta usi veniam nos esse, praesertim in eiusmodi scriptione, impetraturos arbitramur, si quae festinantibus minus recte exciderint emendationesque a nobis proferantur locorum, quos iam alii et rectius quam a nobis est factum correxerint.

Praemissis igitur iis, quae de dactyli usu apud Plautum statuenda videantur, iam de singulis illis quae supra commemoravi vocabulis accuratius dicatur.

Et **Ipse** quidem pronomen paenultima correpta quum raro esset a Plauto dictum, tum nunquam ut ictum ea syllaba haberet. In thesi bis memini me legere correptum Epid. I. 1. 45, *ipse míhi mandavit* et Trucul. I. 2. 59. *neque ipsís.* Saepius alteram arsis solutae syllabam efficit, ut Amphitr. 415. *ét ĭpsus*, Bacchid. 478. Captiv. 279. Cas. II. 8. 56. Poen. III. 3. 56. IV. 2. 23. Trin. 901. 902.

Etiam rarius **Intus** correptum reperitur, Casin. III. 8. 24. *égo ĭntus*, Milit. 612. *quód ĭntus*, Trin. 1101. *sét ĭntus*, quibus fortasse accedit, quem supra tractavimus Poen. IV. 2. 100. versus.

Deinde correptum **Unde** aliquoties in thesi positum est, Poen. 109. *unde sít*, V. 2. 95. *unde súm oriundus*, Capt. 109. *unde sáturitate*, Cistell. II. 2. 19. *unde tíbi*, omnibus his locis primo senarii pede, denique Mil. 376. *unde nísi*, pede tertio, etsi scriptura non est certa. In arsi positum semel inveni, Trucul. IV. 4. 25. *quía ŭnde*, nam Milit. v. 686. Ritschelius non recte videtur librorum scripturam *undé tibi* in *tíbi ŭnde* mutasse. Denique Cist. I. 1. 63. *índidem ŭnde oritur* fortasse recte Bothius *ibidem unde* correxit.

Correptum **Inde** in thesi legitur Poen. 2. *inde míhi*, V. 3. 39. *inde pórro*, Amphitr. 156. *inde crás*, Aulul. II. 7. 4. *inde cóctam*, Capt. 128. *inde mé*, his quoque omnibus locis primo senarii pede. In arsi est Pers. III. 1. 66. *tíbi ĭnde*, Rud. 960. *quíd inde.* Hinc *pĕrinde* dictum Stich. 520. Ictum semel habet *inde* Poen. IV. 2. 80.

Ibidem gnatust, índe surreptus fére sexennis, póstibi —

ubi quis dubitet *surptus* formam restituere? Denique Stich. 67.

Sí quis quaeret, índe vocatote áliqui: aut iam egomet híc ero,

si cui *inde vocatote* minus ferendum videatur, quum in libris omnibus, etiam A. *si quis me quaeret* exstet, is fortasse non *me*, sed *inde* eiciendum putabit. Sed quum *inde vocatote* artissime coniuncta sint, dactylus ille in tertio pede non videtur sollicitandus, *me* vero cum Fleckeiseno post *quaeret* collocandum.

Inter correptum est Stich. 619. *vél ĭnter*, Captiv. III. 4. 84. Cas. V. 4. *núnc ego ĭntér*, Stich. 679. *inter íllut*, nam ita legendum, non *intér illut*, Mercat. III. 1. 38. *et intér*, Cistell. I. 1. 53. *inter ístaec.* Non pertinet huc Poen. I. 2. 56.

Túrbast nunc aput áram: an tibi vis ínter istas vorsárier.

Dactyli enim incisio illa, de qua disputavimus, hic, ut in quinto pede et praepositione nihil habet offensionis. Ut *inter* sic *interim* correptum Mostell. V. 1. 45. *égo ĭnterim*, Stich. 705. Curcul. IV. 1. 25. *set ĭnterim;* et *interii* Mercat. III. 1. 38. *set — intérii*, et Trin. 709. *quíd tibi intérpellatio.*

Aliquanto saepius **Ecce** paenultima correpta legitur, maxime *set eccum*, *eccam*, *eccos*, *eccas* primo senarii vel septenarii pede, vel quinto septenarii, Poen. V. 5. 51. tertio senarii, Mostell. II. 2. 64. etiam quarto senarii, sed post interpunctionem; *dómi ĕccam* Pers. II. 2. 44. Mil. 470. *tíbi eccas* Trucul. II. 6. 49. *túa ĕccam* Rud. 1174. *túum eccum* Menaechm. 286. secundo senarii pede ex Ritscheli coniectura, quae si vera est, potius *tuum* ut monosyllabum pronunciandum; *eccere* Trucul. II. 2. 58.

Iam énim eccere in forum íbo atque haece facta narrabó seni.

Unus exstat versus, ubi sub ictum cadit correpta paenultima *eccum* voculae, Rud. 806.

Ehem, óptume edepol éccum clavator ádvenit

scilicet spondeo pro pyrrhichio posito. Fleckeisenus *ehem* extra versum posito edidit: *eccum óptume edepol húc clavator ádvenit.* Immo corrigendum: *Ehem óptume edepol clávator eccum ádvenit.* Sic v. 844. *Pleusidippus eccum adest.* Accentum vero ne quis improbet, simile exemplum habes v. 461. *ut síne labore hanc éxtraxi. praefíscine.*

Exempla correpti **Omnis** in thesi sint Aulul. IV. 1. 20. *núnc sine omní*, Pers. V. 1. 8. *únde ego omnís*, Mil. 658. *ad omnés*, Rud. 87. 1285. *ita omnés*, Trin. 78. *quia omnés*; in arsi Cistell. V. 1. *quód ŏmnes*, I. 1. 6. *íta omnibus*, Mil. 55. *quód omnes*, Poen. V. 2. 95. *tíbi omnes*, Trin. 621. *síne omni.* Non sunt offensioni eiusmodi versus, ut Mercat. II. 4. 9. Rud. 1100. *ómnia*

ego ístaec, primo septenarii pede, ita potius quam *ómnia égo istaec* legendi. Neque aut Capt. III. 4. 4. *res ómnis in incertó sitast*, ut in octonario, aut Cistell. II. 1. 59. *tértio omnís*, ut quinto septenarii pede, de paenultimae correptione cogitandum. Deinde quum *ómnia* aliquoties legatur, ut Mil. 982. 1148. Poen. IV. 2. 12, 83. Stich. 336. Trucul. II. 4. 96. id quoque potest ferri, quum *omnia* proxime ad trochaicum vocabulum pronunciando accedat, quum vel sexto hexametri dactylici pede positum esset. Bis tamen dactylum *omnibus* Plautus admisit, Amphitruonis prologi v. 55. si is quidem est Plauti, et Stich. v. 114. *Ómnibus os obtúrent.* Ita duo relicti sunt versus quibus correpta *omnis* vocabuli paenultima sub ictum cadere videtur, Stich. 526. et Trin. 933.

Ómnium me exilem átque inanem fécit aegritudinum.

Omnium primum in Póntum advecti ad 'Arabiam terrám sumus.

Nam tertius versus Trin. 236. *ómnium primum amóris artes quemadmodum expediant éloquar* coniectura demum in hanc metri formam redactus et ab Fleckeiseno aliter constitutus est. Sed llorum versuum priore *me* post *fecit* collocandum, altero *Arabiam ad terram* scribendum videtur.

Saepissime a Plauto **Est** corripitur aut in thesi, aut altero arsis solutae loco, nunquam ita ut sub ictum cadat. Infinitivum vero *Esse* nunquam correptum in thesi me memini legere, saepissime vero ita ut alteram arsis solutae syllabam paenultima efficiat, cuius rei exempla afferre inutile est. Itaque de iis tantum locis dicatur, ubi *esse* pro pyrrhichio in arsi positum videri possit. Atque brevis si sequitur syllaba, quum id iis tantum locis factum sit, quibus dactyli incisio non est vitiosa, dactylus potius est quam tribrachus statuendus; etsi his quoque locis incisio illa facili negotio removeri potest. Asinariae v. 316. librorum scriptura *síbi esse in mundó malum* recte correcta est in *ésse sibi,* cuiusmodi dactylus nihil habet offensionis, ut non opus sit *ésse síbi in mundo* legere, quod ne ipsum quidem vitiosum esset, quum de neglecta positione in *in* praepositione dubitari non possit. Mercat. I. 2. 42.

Vín tu te mi ob ésse sequentem, án nevis —

mirum cur Plautus ita dicere maluerit quam hiatu vitato: *Vín tu te mihi óbsequentem esse.* Poen. IV. 2. 63.

Sí herus meus med ésse locutum, qoíquam mortalí sciat

potius *locutum me esse* collocandum. Pseud. v. 1155. *ésse eam dixit* monosyllabum est *eam*, nis praestat *eam esse* cum Fleckeiseno scribere. Curcul. IV. 4. 16.

Mihi si perges ésse molestus

nescio an *míhi esse si pergés molestus* praeferendum sit. Milit. v. 1370.

Dícant servorúm praeter med ésse fidelem néminem

fidelem post *servorum* collocato scribendum esse videtur

Dícant servorum fidelem praéter me esse néminem

Eiusdem fabulae v. 1118. quod Ritschelius ex coniectura edidit

Dicás tibi uxorem ésse necessum dúcere

posthabendum est ei quam in adnotatione proposuit emendationi a Fleckeiseno receptae

Dicás necessum tíbi esse uxorem dúcere.

Idem tamen Fleckeisenus improbabili coniectura Menaechm. v. 39. edidit *ésse Tarentí.* — Ex iis locis, in quibus *esse* in arsi collocatum longa excipit syllaba, quidam aperte sunt corrupti. Trin. 1125.

Néque fuit, neque erít neque esse quemquam hóminem in terra dum árbitror.

quum in libris non *in terra dum* sed *interdum* exstet, aut *dum* eiciendum, aut *usquam hominem terrarum* scribendum, quod Fleckeisenus recepit. Asin. v. 855.

'Artemona, si húius rei med ésse mendacem invéneris

a vulgatae vitio liberi sunt libri manu scripti, qui exhibent *mendacem esse.* Trucul. I. 2. 40.

Nimis ótiosum te árbitror hominem ésse. Quianam arbitráre?

numeri aperte sunt vitiati. Itaque *otiosum esse arbitror te hominem* corrigendum. Epidic. II. 2. 45.

'At tributus quum ímperatus ést potesse pendí negant

corrige *imperatust, posse se pendi negant.* Pers. II. 3. 11. *díxit esse die séptimi* transponendum *die esse*, tribus enim modis vitiosum esset legere *díxit essé die,* et quod dactyli breves syllabae diversorum sunt vocabulorum et quod *esse* dubium est num in thesi correpta paenultima ponatur, et quod ultima in *esse* acuitur, quae incommoda quum singula offendant, coniuncta ferri nullo modo possunt. Poen. I. 3. 13.

Fac quód facturum te ésse promisistí mihi

esse eiciendum videtur, ut eiectum est ab editoribus III. 1. 57. nisi ibi scribendum: *ísque se ut adsimuláret esse péregrinum alio ex óppido.* Simili loco Rud. 637. *ét tibi esse evénturam hoc anno úberem messém mali, esse,* quod est in vulgata, in libris veteribus non exstat. Denique Capt. II. 1. 53.

Ute qui erum m tibi fuisse atque ésse nunc conservúm velint

tibi sine dubio post *esse* collocandum est. Similiter v. 51. *Non ego erus tibi set servus sum*, codex Lipsiensis *sed tibi servus sum* exhibet, unde Fleckeisenus edidit *set tibi conservus sum*.

Non tam diu nos pronomen **Iste** tenebit, quod quum paenultima correpta saepissime et in thesi et in arsi positum reperias, tamen ubi sub ictum ea syllaba cadat, duo tantum me memini legere exempla. Nam Mostell. I. 3. 126.

Nón me curare ístuc oportet —

si minus placeat ille dactylus, *me* post *istuc* collocari possit. Aulul. II. 2. 85.

— numquid mé vis? E. Istuc. M. Fiét. Vale.

quis tandem *istuc* spondeum pro pyrrhichio habebit? Itaque *vis me* corrigendum. Denique Trucul. II. 5. 27.

'Iste hic haud multo póst, credo, aderit —

non *iste* sed *is* videtur a Plauto profectum.

Restat ut de **Ille** pronomine dicatur, quod quam saepe a Plauto paenultima correpta positum sit, inde conicias, quod in una Milite quinquaginta eius correptionis exempla exstant.

Itaque in tanta exemplorum multitudine si in compluribus fabulis nulli, in quibusdam singuli quidam inveniuntur versus, in quibus correpta *ille* pronominis paenultima ictu notatur, eo minus temere existumo libris esse credendum, quod horum auctoritati confisi etiam alia quaedam incredibilia de huius pronominis usu nobis demonstrare posse videmur. Nam non solum vulgata eiusmodi versus exhibet, qualis est Aulul. III. 4. 11.

Crédo ego edepol ĭllĭ mercedem gállo pollicitós cocos,

sed librorum firmata auctoritate haec mensura est Mostell. I. 3. 47.

solam ĭllĭ me soli cénseo esse opórtere obsequentem.

Adde Mercat. II. 3. 45 Mostell. V. 2. 52. Mercat. II. 2. 57. Poen. V. 2. 99. Mostell. II. 2. 36.

Iám non vereor, ne i l l a m me amare hic pótuerit resciscere.
Pétere: ego i l l u m verbéribus, ut quiétus sit subégero.
Nunc ádeo ibo i l l u c. Set óptume gnatúm meum.
Surrúptus sum i l l i n c; hic 'Antidamas, hospés tuus.
Et héus, iube illos i l l i n c, amabo, abscédere.

Quibus locis quum multi alii addi possint, cur tandem librorum auctoritati insistentes non statuamus, omnes huius pronominis bisyllabas formas, sive ultima longam habet vocalem, sive positione fit longa, pro pyrrhichio a Plauto esse usurpatas, vel quid miremur quod fuerunt, qui tamquam monosyllabum existumaverint *ille* esse pronunciando efferendum? Nimirum corrigenda sunt illa vitia, et primo quod ex Mostellaria attuli exemplo *solam* ex proximi versus initio

solam ílle me solí sibi suó quom liberávit

huc migrasse videtur. Proximo *illam* in *eam* mutandum, tertio *ego* post *illum* collocandum est. Deinde in Mercatoris senario, nisi quis in *optume* antepaenultimam corripi, eamque correptionem eo quod ex Persa IV. 3. 81. supra commemoravi exemplo confirmari sibi persuadeat, apud Plautum enim omnia licent, corrigendum: *Sét gnatum optumé meum.* Denique postremis duobus versibus *illim* forma restituenda, de qua egit Ritschelius Mus. Rhen. VII. p. 473. Ut *illim* pro *illinc* sic *illi* pro *illic* etiam contra libros restituendum, ubi numeri id fieri iubent, factumque id est a Fleckeiseno Amphitr. 249. 534. 744. Captiv. 94. 323.

Namque égo fui illi in ré praesenti et méus quom pugnatúmst pater.
Núnc tibi hanc paterám, quae dono mi ílli ob virtutém datast.
Quís igitur nisi vós narravit mi illi ut fuerit proélium.
Nam Aetólia haec est: illist captus in 'Alide.
Pótius quam illi, ubi mínume honestumst, méndicantem vívere.

Eodemque modo corrigendi Mercat. II. 1. 36. Mostell. V. 1. 16.

Atque illi adspicio fórma eximia múlierem.
'Ilico intra límen adstate ílli: ut quom extempló vocem.

Aliis locis vel hiatus, vel numeri perversitas de corruptela monent. Poenul. III. 1. 35. vulgata scriptura *nóstrum illud omne intus est* quum vitiosa est, tum ne libris quidem confirmata, etsi *nostrum omne illut intus est* a Plauto videtur profectum. Rud. v. 818. *et ílle ubi servos cúm ero huc advénerit* — etsi *ille* hic producta paenultima dictum accipi potest — Fleckeisenus edidit *et úbi ille servos cúm ero suo huc advénerit.* Mihi potius *ubi* post *ero* videtur esse collocandum. Poen. III. 3. 6.

Et ílle chlamydatus quísnam est, qui sequitúr procul?

numerorum perversitas docet *illic* esse reponendum. Mostell. III. 2. 70.

Quid ílle consomniávit? ego dicám tibi

ille a Palatinis abest, quod si est retinendum, in *illic* certe mutandum, et Mercat. II. 1. 32.

Postquam íllic quod volui tránsegi

recte vulgata *hic* exhibet. — Aliis locis *quidem* monosyllabum est, ut Rud. v. 423.

Súbvolturiumst, íllut quidem subáquilum volui dícere.

Idem statui possit Poen. I. 2. 72.

Étiamne ut ames éam quam nunquam tétigeris? Nihil íllic quidem est

etsi hic fortasse *attigeris* emendandum, ut II. 39. libri et *acciderat* et *ceciderat* exhibent et Trucul. I. 2. 78. *Non hércle occiderunt mihi etiám fundique et aédes* potius *ceciderunt* videtur substituendum. Sed Bacch. 90. *ílle quidem hanc*, Mercat. V. 4. 14. *ílle quidem illanc*, Trucul. IV. 4. 31. *ílle quidem hinc*, neque *quidem*, neque *suum* Curcul. II. 3. 77. *ílle suum anulum*, aut *senex* Mercat. II. 3. 108. *ille senex insánior*, tamquam monosyllaba pronuncianda, quum dactylus ille primo quin-

toque septenarii pede nihil habeat offensionis. Itaque non pro pyrrhichio sed pro trochaeo *ille* vel *illic* habendum, ubi primo septenarii pede positum est *illic homo*, ut Amphitr. 327. Asin. 272. 282. Aulul. II. 2. 8. Menaechm. 125. 1087. Poenul. III. 2. 36. Pseud. 381. 707. quinto pede Pseud. 667., vel *illic est* Mil. 271. Amphitr. 148. Rud. 1058. Sed Rud. 79. *et sérvos illic est éius qui egreditúr foras* legendum est *ést eius*, nisi *eiust* praestat. Deinde primo septenarii pede *ílle miserrumus* Capt. III. 1. 3. *ílle miserrumum* Mil. 713. *ílle mihi abiens* Mil. 179. *ílle iubebit* Mil. 1192. *ílle negabit* Poen. III. 1. 60. *ílle quod in se* Bacch. 550. Sexto pede tamen eiusmodi dactylum non ferendum arbitror, itaque Amphitr. 660. *nám quid ille revórtitur?* potius *illic* est scribendum. Captiv. V. 4. 17. *'Illic indicium* non est sollicitandum, siquidem in *in* praepositione, modo ne in compositis *s* vel *f* littera sequatur, positio neglegitur, ut Milit. 28. *At indíligenter*, Poen. V. 4. 51. *nós fore invito dómino nostro*, Rud. III. 6. 50. *Nam in colúmbari*, Amphitr. 428. *quíd in tabernacló fecisti?* — Neque in illis versibus, quorum initium est *íllic hinc abiit*, ut Aulul. II. 2. 87. III. 4. 1. Captiv. IV. 3. 1. Epid. I. 1. 84. Poenul. IV. 2. 95. quidquam censeo mutandum, quum *hinc* ut *hunc* corripi possint, praesertim primo septenarii pede. — Iis vero locis, qui alia de causa suspecti vel aperte corrupti sunt, nihil probari potest. Cistell. I. 1. 96.

Coépi amare cóntra ego illum et ílle me. L. O mea Silénium. S. Quid est?

quum uno pede longior sit versus, aut eicienda *et ille me* verba, aut *quid est* verbis deletis *mea* ut monosyllabum legendum. Eiusdem fabulae IV. 2. 74.

At enim ílle quidam argentum éxpetit. G. At enim nequídquam.

lacunosus est in libris. Fortasse emendandum:

At enim ille quidam iam éxpetit argéntum H. At enim nequídquam.

Epid. I. 1. 17. *ut ílla respondeás probe,* locus est corruptus, *responses* fortasse recte a Bothio emendatum. Bacchid. versus 950. 952. in libris ita leguntur:

Dolis ego deprensus sum: ille mendicans paene inventus interiit.
Vinctús sum, set dolís me exemi. itém se ille servavít dolis.

quorum priorem recte correxit Ritschelius in hunc modum:

Doli égo deprensus sum: ílle inventus méndicans paene ínterit.

altero Ritschelius et Fleckeisenus *item ille se* ediderunt. Sed aut librorum scriptura retinenda aut cum Hermanno *item ílle se servát* scribendum erat.

His igitur locis remotis, quos iure nostro nobis videmur removisse, in tanta multitudine eorum versuum, in quibus paenultima *ille* pronominis syllaba corripitur, pauca tantum sunt exempla, quibus impugnari praeceptum illud a nobis propositum possit. Et ex his quoque Trin. v. 672.

'Ille qui aspellit, ís compellit: ílle qui consuadét, vetat.

sine dubio corruptus est, quem etiam Fleckeisenum video tamquam versum suspectum uncis inclusisse. Neque credibile est, tam inconditum versum a Plauto esse profectum, a cuius arte aliena est

accentus ratio, qua eadem *aspellit* et *compellit* verborum syllaba effertur. Itaque correctori, similium locorum non ignaro, veluti Asin. III. 1. 24.

Illos qui dant, eós derides: quí deludunt, déperis

is videtur tribuendum et potius ante *vetat* collocandum in hunc modum:

'Ille qui aspellit, compellit: quí consuadet, ís vetat.

Iam eorum quae supersunt exemplorum pars facillima transpositione corrigi potest, ut Asin. 123. Aulul. IV. 4. 29. Trin. 853. Pers. II. 2. 50.

Nam ego íllut argentum tám paratum filio.
Périi hercle: ille nunc íntus turbat —.
Ille qui me condúxit, ubi condúxit, abduxít domum.
'Illa militia mílitatur múlto magis quam póndere.

